15 · 6

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

ABORTU,

Quam

Sub Auſpiciis Divinis,

Ex Decreto atq; Authoritate

Gratioſæ Facultatis Medicæ

In Inclyta Argentoratenſium Univerſitate,

PRO LICENTIA

SUMMOS HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI,

SOLENNI Eruditorum Examini

ſubjiciet

ABRAHAMUS Kübler / *Argentinenſis.*

Ad diem Martii, M DCC XI.

Horis locoque ſolitis.

ARGENTORATI,

Imprimebat JOHANNES GIESEN, Cancell. Typogr.

DEO

ET

PROXIMO.

Prooemium.

ADmirandum ſane, ſi quod aliud in natura, eſt illud generationis humanæ opus, atque artificium Creatoris Optimi Maximi, ſi quis conſideret compagem atque ſtructuram partium corporis humani, primam exiſtentiam & augmentum, nutritionemque fœtus adhuc in utero materno latitantis. Dolendum tamen viciſsim eſt, quod ex lapſu Parentum noſtrorum ſtatus integritatis uſque adeò defecit, ut ita mirabiliter conceptus, ita auctus natusque homo variis poſtea morbis tentaretur, atque admiranda hæc machina tandem planè vario modo deſtrueretur. Amplius dico: imò quod ho-

mo ad Divinitatis ſimulachrum & Omnipotentis Imaginem formatus, tam infinitis malorum myriadibus obnoxius eſt. Inde mira rerum omnium viciſſitudo, demumque malorum omnium poſtremum mors, ultima linea rerum. Quid? quod non modo jam natus & in hanc lucem editus homo, ſed & fœtus ipſe adhuc dum in utero matris conſtitutus, à morbis variis non immunis, (uti experientia & exempla frequentiſſime teſtantur,) imò ex variis cauſis vel immaturus intempeſtive excluditur, vel etiam in ipſo utero moritur, & quandoque matrem ipſam itidem in extremum vitæ periculum conjicit. Quæ res digna conſideratione viſa eſt. Itaque cum nuper exantlato feliciter Examine, Ampliſſima Facultas Medica liberam mihi poteſtatem benigne conceſſiſſet conſcribendi Diſſertationem Inauguralem, hanc Materiam de ABORTU tractandam mihi elegi; cum præſertim hic affectus ſit non ſolum periculoſiſſimus

nus, ſed & non adeò infrequens, & quamplurimi fœtus, imò utplurimum, ſi non jam mortui, tamen brevi temporis ſpatio, in tali caſu moriantur, matrem ſæpius ipſam in agone mortis relinquentes. Ad hoc vero negotium dum accingor, ante omnia DEI T. O. M. auxilium imploro, à quo ſucceſſus laboris pendet; & à Benevolo Lectore, ſi huncce affectum ſatis gravem atque myſteriis adhuc plenum, in hac tenuitate ingenii mei, non ita exacte enucleavero, atque pertractavero, veniam ſpero, & rigidiorem ſaltem cenſuram juvenilis ſcripti, quod fas eſt, deprecor.

CAPUT I.

Morbi Definitionem & Hiſtoriam exhibet.

MAximas inter & frequentiſſimas geſtationis læſiones certe Abortus eſt, utpote qui fœcundam mutui amplexus meſſem in herba, ut ajunt, perdit: de quo nunc aliqua in Diſ-

ſertationis Academicæ modum proponere aggredior. Ad cujus Thematis elaborationem ordo poſtulat, ut ejus definitio verbalis explanetur. Nomen itaque quod attinet, Abortus dicitur ab eo, quod quaſi non ortus, vel fruſtra ortus, à verbo abortio, abortior, vel aborior, quod verbum ante legitimum tempus perire ſignificat. Fuit olim etiam in uſu vox *Aborſus*, cum diſcrimine tamen, ut notat Vetus Grammaticus, *Nonius Marcellus*: *Aborſus* inquit, *ille dicendus eſt, qui & in primis menſibus, cum conceptui exordium factum eſt: Abortus prope tempus pariendi; tum enim moritur, quod naſcitur. In plurimis hoc reconditum invenimus.* Aliàs dicitur partus præternaturalis, intempeſtivus; aut fœtus abortivus, ubi fœtus non tam imperfectus, quam immaturus, ſeu juſtam magnitudinem nondum adeptus per ſinum uteri excluditur; Germanis dicitur die Mißgebährung / das unrichtig Gehen der Weiber / die unzeitige Geburt. Sed hæc ſat de Onomatologia dicta ſunto.

Quoad definitionem realem Abortus, eſt intempeſtiva & violenta fœtus nondum perfecti, causa aliqua violenta, naturam ad immaturam expulſionem ſtimulante, aut mortui aut vivi, ante terminum partus legitimum, plerumque cum variis ſymptomatibus per ſinum uteri excluſio. Dico; ante terminum partus legitimum, nam fœtus mortuus etiamſi juſto tempore edatur, abortus dici non poteſt. Etenim cauſa nulla eſt, ſi fœtus jam perfectus vel paulo ante debitum partus tempus, vel in ipſo partu moriatur, cur non verus, etſi fœtus mortui partus ſit dicendus: tum enim natura ſponte ſtatuto tempore ad expellendum eum inſurgit. In Abortu

aute

autem fœminæ graviter, imò multo gravius, quam n ipſo naturali affliguntur partu; Sicuti poma immatura non niſi vi avulſa decidunt, & quandoque nſimul diſcerptis arborum ramulis, cum è contra maturitatem adepta juſtam, vel ſponte decidant, vel evi vi decerpantur. Potiſſimum autem id fit ratione placentæ uterinæ, cujus connexio cum utero non arò adeò ſtricta obſervatur, ut non niſi violentiore bſtetricis manu educi queat, nec hac ſemper educatur, & funiculo umbilicali difrupto, vel tota, vel altem aliqua pars ejus adhuc remaneat, unde poſt am varia ſymptomata inſequuntur, quæ non raro fficiunt, ut miſeræ illæ mulieres etiam miſerè vitam um morte commutare opus habeant. Teſte enim *Wolfgango Hœfero in Hercule Medico: Libr. VII. p. m. 19.* multæ edicant atque confitentur, *ſe malle decies arere, quam ſemel abortire.* Unde procurare Abortum non ſolum impium eſt, & DEI & Naturæ legibus prohibitum, ſed etiam periculoſiſſimum, ſiquidem per violentam hanc fœtus excluſionem cauſatam, facile vinculorum ruptura, vaſorum apertio c ſanguinis profluvium immodicum, imò tandem ethale contingere poteſt. Nec obſtat illud, quod tero gerens acuto morbo correpta, ab eo liberari non oſſit, niſi fœtus primum excluderetur, quo mater tali ſtatu liberata, tutius omne remediorum genus dmitteret, ut ita, duobus malis propoſitis, minus ligendum, & potius fœtus, quam unà cum fœtu nater periret. Primo enim non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona; deinde uti dictum: ſpe uoque fallimur, cum uterque affectus per ſe periulOſus, morbus videlicet acutus, & ipſa fœtus imper-

perfecti excluſio, quæ maxime præternaturalis eſt eatenus malum malo additur, & laborans in extremum periculum inducitur, atque ita morbo matris novus & gravior morbus adducitur. Sunt tamen etiam aliæ, quæ abortiunt inter ambulandum, atque ferè ſine doloribus, præcipue ſi contingat à laxitate partium, ubi fœtus veluti ſpontè & quaſi propria gravitate ex utero elabitur.

Cum itaque animalia cuncta ſingulari modo partum ſuum perficiant, atque ſtatuto tempore, hic ante omnia nobis occurrit illud tempus definitum determinare, quamdiu mulier utero gerat, ſecundum leges naturæ ordinarias, ut poſtea exinde pateat quinam partus abortivus dicendus ſit, quinam vero partus legitimus. Commune itaque geſtationis tempus ſtatuitur elapſis ab impprægnatione novem menſibus ſolaribus, qui determinantur juxta curſum Solis, ſingulis menſibus Zodiaci ſignum percurrentis quorum duodecim annum conſtituunt, aut decem Lunæ curriculis ſeu menſibus lunaribus, quæ numerantur ab uno novilunio ad alterum. Eapropter hebdomatarum numero deſcribere velis, vix ante tr geſimam octavam prodibit, & vix ultra quadrageſi mam protrahetur partus, ad ſummum autem ulti 280. dies fœtus non portatur in utero, qui partu legitimus & nec præpoſterus, nec juſto tardior h bendus eſt; ubi tempore hocce præterlapſo natu ſponte expulſionem molitur: & quidem vel in m tre, ob ſingularem efferveſcentiam excitatam, (quod ſatis manifeſte patet ex parturientium ſympt matibus) unde quidam non inepte meo judicio ſ tuunt, quod plerumque partus dolores legitimi co

ti

tingant tempore eo, quo aliâs menſes erumpere conſueverunt, unde ille orgaſmus in matre. Porro cauſa partus accedentis vel hæret in fœtu, ob reſpirationis neceſſitatem, ſi fluidum ejus intrinſecum ſine motore externo machinæ magis grandeſcenti impar evadit, & ubi ſubſtantia hujus magis ſolideſcit atque ſpiſſior evadit, major atque potentior quoque in movente fluido requiritur impetus. *Vid. Joh. Bohnius in Circulo Anatomico Diſſert. III. de Partu. pag. m. 37.*

De tempore autem Abortus ſeu potius ætate talis fœtus excluſi eſt ut quam maxime ſolliciti ſimus, & quinam meritò Abortus appellari poſſit. Equidem quidam ex Medicis antiquis non adeò in laxo ſignificatu, hoc eſt, pro omni immaturi partus excluſione, vocabulum Abortus uſurpant, ſed tantum pro illa, quæ fœtui jam quoad omnes partes organiſato, nempe circa ſextum vel ſeptimum geſtationis menſem accidit; illam vero, quæ intra primos duos menſes contingit, Abortum nequaquam vocandum eſſe exiſtimant. Putabatur enim fœtum primis temporibus non totum figuratum eſſe quoad omnia membra, quæ ſenſim ſuccreſcant, ſecundum verſus vulgatos.

Sex in lacte dies, ter ſunt in ſanguine trini,
Bis ſeni carnem, ter ſeni membra figurant.

Sed quod hodiernis temporibus, utpote expeientia anatomica aliter monſtrante, locum non

habet. Conſtat enim primis diebus ſtatim omni rudimenta fœtus apparere; id quod *Hippocrates Lib. de Carnibus* jam agnovit: *Primum*, inquit, *cum genitura in uterum pervenerit ſeptem diebus, habet quæcunque corpus habere debet. Mirari autem quis poſſit quomodo ego id ſciam: Verùm multa vidi hoc modo Meretrices publicæ, quæ ſæpius de ſeipſis periculum fecerunt, ubi cum viris rem habuerint, ſciunt quando in ventre concipiant, & poſtea conceptum intra ſe perdunt. Poſtquam autem jam perditus eſt, elabitur veluti caruncula; hanc carunculam in aquam conjectam ſi conſpicatus conſideraveris, omnia membra habere reperies, & oculorum regiones, & aures, & manus, & manuum digitos, & pudendum, & reliquum totum corpus manifeſtum.* Sic aliquando in Theatro noſtro Anatomico fœtum circiter menſis unius invenimus, & quidem maſculum, ubi omnia membra apparuerunt eodem modo, uti jam ab Hippocrate deſcripta, licet caput uti in omnibus id videtur ſolito majus obſervatum. Plura exempla vide apud *Sever. Pinæum in opuſc. Phyſiolog. & Anatom. lib. II.* ut & *Diemerbræckium in ſua Anatomia pag. m. 183. ſeqq.* de Abortu paucarum, tum trium tum ſex ſeptimanarum; & apud modo allegatum Pinæum figura reperitur de fœtu duodecim dierum, quoad omnes partes organiſato, *pag. 111. & 112.* ut & *pag. 120. & 121.* figuram exhibet magnitudinis fœtus abortivi, & ſecundinarum ejus, qui vigeſimo quinto die à conceptione ſanguine privatus fuit, propter vaſorum umbilicalium diſruptionem. Porro quoque fœtus ſeptimo menſe editus, non pro abortu, ſed pro legitimo partu habetur, ſi vitalis eſt: qui tamen rarus admo-

dum

dum interim quia interdum, ſi fœtus vegetior ſit, & cauſam morbificam, ob quam maturius editur, & aëris & partus injurias vincit; qualia exempla plura profert *Joh. Schenckius in ſuis Obſervat. Tom. II. p. m. 132. ſeqq.* itidem de octavo menſe natis vitalibus; *p. 135. ſeqq.* Notandum enim hic, quod præter alios etiam *Adrianus Spigelius Libr. de formato fœtu* obſervavit, nempe non protinus omnes fœtus illegitimo tempore natos, mori; ſe enim vidiſſe, inquit: octo, ſeptem, imò & ſex menſes in utero ſaltem portatos, & ob aliquem errorem externum editos, per ſeptimanas aliquot, adhibito conveniente fotu & alimento, vivos ſervatos fuiſſe; imò nonnullos & ad extremam ſenectutem perveniſſe. Hæcce cum ita ſint, & conſtet ex exemplis allegatis, tales fœtus quandoque vivos in lucem prodiiſſe, tamen vel imperfecti adhuc quoad quasdam ſaltem partes, vel non diu ſuperſtites quoque ſunt, ob debilem adhuc ſtructuram, atque perfectionem juſtam nondum acquiſitam, & poſitis hiſce omnibus, tamen rara non conſtituunt regulam. Cum autem quandoque tales partus contingant, & fœtus vivi in lucem edantur, proprie Abortus appellari non conſueverunt, ſed potius per Partum præcocem, das frühzeitig Gebähren exprimitur à noſtratibus mulierculis. Interim tamen non ſemper fidendum eſt his exemplis, ut ſi gravida injurias quasdam externas patiatur, & metus excluſionis fœtus adſit, prognoſtico bono ſecundum caſus enarratos relinquatur rariores, & potius cura adhibenda, ut fœtus ulterius incrementum in utero ſumat, tanquam corpori tam tenello quam maxime appropriato domicilio, cum aliâs eventus ſalutis vel mortis fœtus admodum incertus ſit.

De-

Deſcripta itaque nunc abortivi partus ætate, quando proprie Abortus dicendus ſit, ordo poſtulat, ut itidem aliquid dicatur de Tempore Abortus, ſeu quo tempore communiter fiat. Ubi ſciendum, quod Abortus nullum tempus ſtatutum habeat, & accidere poſſit, ſingulis graviditatis menſibus, prout cauſæ illum efficientes, vel mitiores vel fortiores exiſtunt, licet uno tempore frequentius contingere queat ac altero, præcipuè autem in principio, tum ultimis menſibus. Primis enim menſibus non tàm firmè utero adhæret fœtus. Similiter cum jam perfectus ſit fœtus, ubi ſponte veluti iterum decidit placenta uteri, tum poſtea facile, adjuvante quodam accedente, Abortus contingere poteſt. Medio autem geſtationis tempore non tam facile accidit, licet interdum fiat, (ſi cauſa ſatis valida ſit,) quoniam tum fœtus quam firmiſſimè utero adhæret, & reliqua accidentia ad fœtus retentionem nutritionemque in fœtu minori exiſtente adhuc ſatis bene ſeſe habent; cum è contra fœtui grandeſcenti quamplurima accidant, ex vitiis variis, quæ vel ad ejus mortificationem vel excluſionem contribuere poſſunt: cujus rei uberiorem explanationem inferius in cauſis tradituri ſumus.

CAPUT II.

Explicat partem affectam & ſtructuram uteri, præcipue in gravida, atq; augmentum & nutritionem fœtus.

PArs affecta ſeu ſubjectum in Abortu principaliter eſt

eſt Uterus, ſi fibræ ejus variis de cauſis poſtea enarrandis vel vellicantur ad earum conſtrictionem, vel laxantur, ut fœtus retineri non poſſit, & veluti ſponte elabatur. Quandoque tamen Fœtus ipſe principaliter affectus eſt, e. gr. ſi ille à variis cauſis, ut à rupto funiculo umbilicali moriatur, ubi putreſcens uterum in conſenſum trahit, atque eum ad expulſionem moleſti ſtimulat. Sed de hoc hic loci ſat mihi dixiſſe videor, quia deſcriptio cauſarum hoc ulterius dilucidabit. Cum autem uterus tam variè in culpa ſit, & afficiatur præter naturam vario modo, neceſſarium fore puto, antequam cauſæ tradantur, ut earum operatio & fiendi ratio magis conſtet, quædam præmittere de ſtructura partium in gravida, tum de nutritione & augmento fœtus. Organa autem mulierum generationi dicata, partim externa, partim interna ſunt; alia congreſſui dicantur, alia fœtus materiam continent, alia nutriendo fœtui domicilium præbent. De ſingulis ſeorſim. Externas partes cum ad ſcopum noſtrum nil faciant, meritò omittimus. Nobis potius ipſe Uterus deſcribendus erit, qui ſitus in hypogaſtrio inter inteſtinum rectum & veſicam urinariam; unde meritò dicere poſſumus; *Quid gloriaris ô homo! qui natus es inter ſtercus & urinam.* Hicce autem locus eſt accomodatiſſimus, tum ad fœtus incrementum, tum etiam ad ejusdem maturi commodam excluſionem, quod ad inferiora propenderet, ſicque ſua declinatione partum juvaret: ut propter muſculos abdominis comprimentes, conatus matris adjuvaretur, tum ut inteſtino recto incumbens tanquam pulvinari, tempore graviditatis non gravius allidat vertebris lumbaribus, & ita fœ-

 tui

tui noxam pariat. Figura uteri pyriformis reperitur, cujus ſuperior pars fundus, inferior vero orificium & cervix appellari conſuevit; Subſtantia ejus eſt fibroſo-ſpongioſa, tum ut diſtentus ſeſe ratione fibrarum, quæ varii generis reperiuntur, iterum contrahere poſſit, (ſiquidem cavitas ejus in non imprægnatis tam parva eſt, ut vix fabæ majuſculæ ſit capax) tum ut ratione ſubſtantiæ ſpongioſæ, foraminibus ſpongiarum non diſſimilis, vel pumicis more perviæ, diſtendi poſſit. Hujusmodi autem ſubſtantiam à ſapientiſſima natura utero tributam fuiſſe arbitror; ut ſanguinis & ſpirituum copiam pro fœtus alimento facile contineret: adnatæque poſtea placentæ uterinæ in imprægnatis, roris in modum ſuggereret, ad alimentum fœtus poſtea ex ipſa, mediante funiculo umbilicali ſuſcipiendum. Nam licet in tantam molem creſcat uterus, quanta etiam ſufficit ad continendos gemellos, tamen minime attenuatur, quin potius craſſior redditur; ab alimenti enim copioſi affluxu ſenſim augetur, inſtar ſpongiæ madefactæ, & quò major eſt fœtus, eò major alimenti copia affluit, & in eam magnitudinem excreſcere facit; ut poſtremis menſibus duos digitos craſſus evadat. Tunicas obſervamus in utero duas, exteriorem & interiorem. Tunica uteri exterior eſt membranoſa, à peritonæo orta, quâ & cum veſica urinaria & inteſtino recto valide conjungitur, hinc facile conjicere licet, unde his affectis gravius, uti in teneſmo, ſtranguria &c. uterus quoque in conſenſum trahatur; interior autem tunica eſt nervoſa & valde ſenſibilis. Vaſa uteri varia reperiuntur, & quidem primò venæ, tum arteriæ, utraque ab hypogaſtricis & ſpermaticis, ubi

qu

que ſeſe invicem comitantes, quibus annumerantur quædam ramificationes vaſorum hæmorrhoidalium; oſcula autem horum vaſorum uſque ad internam cavitatem penetrant, & tempore menſtruorum, ob affluentem ſanguinis copiam, hiant atque aperiuntur, unà quandoque cum aliis vitioſis humoribus in corpore latitantibus, & hic depoſitis tanquam ad ſentinam quandam, uti hoc probat ſingularis odor ſanguinis menſtrui, tum in morboſis alii mali humores excreti, modò crudi & pituitoſi, hinc alba menſtrua ſeu fluor albus; nonnunquam ſeroſi, bilioſi & acres, inde muliebre profluvium. Hinc videre eſt, quàm variè fœtus in utero latitans noxam acquirere poteſt, ut ſolummodo proferam variolas & morbillos, quæ communi Authorum conſenſu originem trahunt ab impuritatibus adhuc in utero contractis, ut alia taceam. Inſerviunt porro hæc vaſa uterum percurrentia, & in cavitatem ejus hiantia tempore graviditatis, ut placenta uterina illis annectatur, ad hauriendum ſanguinem pro fœtus nutritione. Habet & nervos uterus complures, oriundos à pari vago, tum è medulla oſſis ſacri, retis in modum invicem implicitos, unde magnus eſt uteri cum cerebro & aliis partibus conſenſus. De variis lymphaticis *Clar. Philip. Verheyen in ſua Anatomia pag. m. 197.* dicit: *An ullus unquam in utero humano illa obſervaverit ignoro, de eorum autem exiſtentia nullatenus dubito, cum non minus in mulieribus videantur neceſſitatis, quam in vaccis, in quibus non tantum vaſa lymphatica, copioſe obſervavi, ſed etiam notabilem humoris quantitatem ex iisdem collegi.* Nec omittenda ſunt ligamenta uteri, quæ quatuor aliâs recenſentur, cum proprie ſolummo-

modo duo ſunt, nam primò ſunt duo lata, alæ veſpertilionum dictæ, ob ſimilitudinem, quæ potius teſtes muliebres ſeu ovarium, tubas Fallopianas, & vaginam inter ſe colligant. Tum ſunt ligamenta rotunda, quæ à fundo uteri utrinque per peritonæi duplicaturam excurrunt, & prope clitoridem inſeruntur, hæc uterum firmiter retinent, ut impediatur, ne uterus relaxetur & planè tandem decidat.

Reſtat adhuc, ut quædam de ſtructura fœtus dicantur. Fœcundatum itaque à ſpiritu ſeminis virilis ovulum, & à reliquis decidens, excipitur à fimbriis carneis tubæ Fallopianæ, & per illas ad uterum defertur; ubi orificium ejus arctiſſime clauditur, ne iterum elabi poſſit fœtus, poſteaque placenta uterina, cujus rudimentum pariter cum ovulo adducitur, indies ſanguine & ſpiritu copioſius ad uterum affluente augetur, & ita fœtui mediante funiculo umbilicali adnato ſuppeditat alimentum, qui adhuc duabus membranis involutus eſt, exteriori Chorio, & interiori Amnio, quæ liquorem continent copioſum, partim nutritium, partim excrementitium: nutritius ſecundum *Clar. Joh. Bohnium in Circ. Anatom.* provenit à ſuperfluitate nutrimenti per mammillas excreti, quæ utplurimum in recens natis turgent, ubi poſtmodum, particulis nutritiis à fœtu abſumptis, ſolummodo lympha quædam excrementitia remanet, vel ex iisdem mammillis exſtillans, vel à ſudore & exhalationibus fœtus proveniens; an autem ab urina fœtus hoc contingat, meritò dubitatur, cum incertum ſit, an urinam mittat, nam nullus deprehenditur ſapor urinoſus in hoc liquore, urachus quoque impervius reperitur, uti hoc anno in Theatr

noſtr

noſtro Anatomico obſervare licuit, in infante ſexus fœminini, & renes lobulis quaſi diſtinctis cernuntur, fœtus quoque non ſtatim poſt partum urinam emittit, ſed aliquot poſt partum horis. Plura argumenta videri poſſunt apud modo laudatum *Bohnium l. c.* Hicce autem liquor in amnio contentus fœtum illi quaſi innatantem defendit, ne gravius illidat utero & ita noxam capiat, tum ut in partu vias lubricet, & eum ſic promoveat. Alimentum autem fœtus aſſumit tum per funiculum umbilicalem placentæ adnatum, in quo vena unica, arteriæ duæ & urachus deprehenduntur; hujus vena ex placenta uterina portionem chyloſam ad embryonem affert, ſuperfluus autem ſanguis iterum revehitur per arterias funiculi umbilicalis ad placentam, ubi iterum abſorbetur, de uracho autem qui in veſicam urinariam tendit, dicitur quod per eum urina fœtus excernatur; cum autem in homine plane impervius obſervetur, potius ligamenti locum obtinet. Funiculus autem hic umbilicalis ſatis longus eſt, ne tam facile diſrumpatur, & ita fœtui alimonia ſubtrahatur, tum quoque vaſa in illo contorta ſunt eo modo, quo parvi funiculi ſolent componere funem majorem, quæ contorſiones videntur frangere impetum ſanguinis, quo fœtus veluti obrueretur. Tum fœtus etiam alimoniam acquirit ultimis menſibus per os, nam liquor in ventriculo repertus, æmulatur liquorem in amnio contentum, patet id quoque ex excrementis in inteſtinis repertis. Fœtus itaque hoc modo nutritus & debitam ſtructuram ac magnitudinem nactus, jamque liberiorem aërem quærens poſtea de partu ſollicitus eſt; cui accedit orgaſmus peculiaris in matre, ejus-

 que

que utero ad fœtum excludendum, ubi uterus commotus ſeſe quaſi conſtringit, & ſic membranas rumpi facit, demum ipſum fœtum quoque expellere conatur; conſtricto enim fundo uteri, orificium ejus aperitur.

CAPUT III.

Cauſarum enodationem, earumque Pathologicam rationem demonſtrat.

PErſpecta nunc Morbi hiſtoria & ſtructura in gravida, facile notitia Cauſarum & quomodo agant patebit. Cum autem illæ in hoc affectu tam variæ reperiantur, ideoque ordine recenſendæ erunt; cum probè cognita cauſa indicatio curatoria per ſe eluceſcat; ubi viciſſim illa non probè perſpecta quandoque plane contraria cura adhibeatur. Itaque primò me accingam ad cauſam proximam ipſius Abortus declarandam, quæ eſt: Uteri præternaturalis vel coarctatio, ubi fœtus cum ſecundinis extruditur, vel laxatio, ubi fœtus retineri non poteſt, & quaſi ſponte excidit; huc accedit dilaceratio ſecundinarum, atque hinc fœtus delapſus. Præter iſta etiam huc pertinet mortificatio fœtus, quæ itidem ad Abortum referri poteſt, à quacunque cauſa contingat, ubi miaſma illud fœtus cadaveroſum uterum per conſenſum afficiens, & alia varia mala producens, fœtus putreſcentis & naturæ moleſti excluſionem tentat. Econtra vero, natura quoque non ſemper hic ad excretionem conatur, ut uterus vel conſtringatur, vel laxetur, imò quandoque ſatis diu fœtus mortuus in

utero

utero detinetur, etiam putrilagine tentatus, ſine tamen ulla matris moleſtia & noxa; quale quoque exemplum refert *Vitus Riedlinus in Curis Medicis pag. m. 605. Obſ. 870.* de fœtu mortuo per undecim dies adhuc in utero geſtato. Ut & *Hildanus* aliquoties.

Cauſæ autem antecedentes variæ reperiuntur, ad quarum effectus in hoc caſu diverſos probe examinandos, ut ordinis melioris ratio habeatur I. Explicabimus quomodo Abortus à coarctatione & conſtrictione uteri, & à quibus cauſis contingere poſſit. II. Declarabimus cauſas efficientes nimiam laxitatem uteri, & ita Abortum procurantes. III. Quomodo & quibus auxiliantibus fœtus mortificetur.

Quod ergo attinet Abortum qui contingit à conſtrictione uteri, varias cauſas agnoſcit; inprimis conſenſus uteri cum reliquis partibus hic multum facit, tum ratione tunicæ exterioris membranoſæ, qua & cum veſica urinaria & inteſtino recto valide conjungitur, ubi illis affectis, non mirum eſt uterum in conſenſum trahi; tum etiam ratione nervorum copioſiſſimorum, qui uti ſuperius in ſtructura Uteri dictum, oriuntur à pari vago, quod thoracis & abdominis viſcera maxima ex parte penetrat. Irritatis itaque nervis, uteri fundus contrahitur, quo contracto orificium ejus aperitur, & membranæ fœtum cingentes dilacerantur, facto hocce aquæ effluunt fœtu inſequente. Huc quoque pertinet uteri capacitas exigua, & peculiaris conſtitutio, ſi expandi non poteſt, æquè ac par erit ad fœtus incrementum, unde fœtus ita coarctatus neceſſariò tandem vel moritur, vel intempeſtivè protruditur, de qua anguſtia *vid. Sennert. Prax. Tom. IV. pag. m. 401.* Uti ſe res habet cum ventriculo,

 qui

qui pro cibi aſſumpti quantitate facile diſtenditur, in quibusdam tamen adeò anguſtus eſt, ut mediocrem cibi quantitatem ferre non poſſit, ſed vomitu iterum rejiciat, cum tamen in helluonibus res longe aliter ſeſe habeat. Hic etiam locum habet ſuperfœtatio, ſi unus fœtus ob minus ſpatium alterum expellit, qualia exempla vide apud *Schenckium in Obſerv. Tom. II. obſ. 126. p. m. 92. ſeqq. Et Caſp. Poſnerum in Tabulis Geneanthropologicis Tab. IV.* Nam utero graves ſuperfœtare neque fabuloſum neque novum eſt; uti præter Authorum modo allegatorum exempla quam plurima etiam conferri meretur *Lud. Bonaciolus, de fœtus formatione Cap. V. p. m.* 147. Communiter autem conſtat, alterutrum fœtum mortuum prodiiſſe, dum enim unus fœtus primò conceptus, alterum grandeſcentem premit, & illi ſpatium adimit, vel nutrimentum ſufficiens auffert, fieri non poteſt, ut ambo vitales uſque ad debitum partus tempus retineantur. Par ratio eſt molæ ſimul fœtui adjunctæ, ubi itidem capacitas ad eam retinendam ſimul cum fœtu non ſufficit. Obſervatione hoc demonſtrat *Thom. Barthol. in Hiſt. Anat. I. Cent. 3.* Huc quoque referenda eſt ligatura fortior abdominis, qua fœminæ plerumque utuntur, ut corpori venuſtatem concilient, & aliæ virginitatem mentiantur, ſic enim fit, ut uterus debito modo & pro fœtus incremento, diſtendi non queat, unde tandem neceſſario quaſi vi protruditur. Inter internas cauſas quoque hic referenda eſt vitioſa fœtus moles, flatus, & uteri quilibet tumor præter naturam ob modo recenſitas cauſas. Sed quod irritationem uteri concernit, primò ea contingit ab acrimonia ſanguinis ſcorbutica, tum à dyſenteria præcipue, & eò

ma-

magis ſi cum teneſmo conjuncta eſt; unde *Hippocrates Sect. VII. Aph. 27. dicit: Mulieri utero gerenti, ſi crebra & inanis deſidendi voluntas, ſeu teneſmus acceſſerit, abortum facit.* Siquidem oritur dyſenteria ab humoribus acribus, inteſtina erodentibus, & poſtea ſphincterem ani vellicantibus, unde teneſmus: quare neceſſariò ob viciniam uterus in conſenſum trahitur. Huc accedit protruſio fortior tum temporis fæcum alvinarum, atq; commotio totius corporis. Unde ex eadem ratione, protruſionis nempe fortioris conſtipatio alvi abortum cauſatur, quæ ſæpius contingere ſolet, in gravidis enim abſumpta tenuiore parte humoris ad fœtus alimoniam indureſcunt fæces, & cum natura vehementi compreſſione nixuq; expellere conatur, uterus comprimitur, & multoties ſubſequitur abortus. *vid. Hildan. Cent. VI. obſ. 62. fol. 576.* Ex conſenſu porro abortus fieri poteſt, in nephritide, dyſuria, ſtranguria, colica præcipue bilioſa & plevritide. Omnes præterea motus corporis fortiores hic quam maxime contribuunt, e. gr. vomitus, ſternutatio, tuſſis ferina, vociferationes nimiæ & clamoſæ &c. Huc quoque ſpectant affectiones graviores nervorum, convulſiones, epilepſia &c. & res quocunque modo cerebrum & genus nervoſum gravius afficientes, atque uterum, cujus magnus conſenſus eſt cum cerebro, irritantes, uti ſunt odores graves, nunc ſuaveolentes, ut moſchi, ambræ, nunc fœtidi, ut aër fœtidus cloacarum, teter etiam odor candelæ ſebaceæ ſemiextinctæ. Quo tandem pertinet Uterus ipſe affectus, e. gr. ejus percuſſio, tumor, vulnus, ulcus, quæ tamen potius pertinent vel ad laxitatem uteri, vel ad fœtus mortificationem; Sic cancer uteri, eryſipelas: unde *Hippocr.*

ſect. V. aph. 43. ait : Si prægnanti in utero fiat eryſipelas, lethale; cujus rationem *Hollerius in Scholiis* ad eundem tradit; *inflammatus enim*, inquit, *uterus debilior redditur & paulo poſt acetabula ſolvit, ex quibus etiam fœtus corruptio ſequi poteſt.* Et alia innumerabilia ferè, quibus recenſendis ob nimiam prolixitatem hic non immoramur.

Potius autem me confero ad Cauſas nimiam laxitatem uteri & ligamentorum ejus efficientes. Siquidem hic requiritur debitus tonus partium, ut fœtus contineri in utero queat: Nam & in hoc par quodammodo ratio eſt, uti fieri videmus in atonia ventriculi, qui nullos cibos concoquit, & in quo illi vel corrumpuntur vel iterum per vomitum rejiciuntur, id quoque conſpicere licet in levitate inteſtinorum, ſeu Lienteria, ubi cibi non alterati, per alvum egeruntur, ob defectum ſufficientis toni partium, qui amplius retinere facit; id quod probat effectus quandoq; inſignis medicamentorum adſtringentium. Ut itaque ad ſcopum noſtrum perveniamus, primo ſeſe offerunt evacuationes nimiæ ferè quæcunque. e. gr. Alvi fluxus copioſus, qui placentam uterinam relaxat, quod etiam *Hippocr. jam innuit Sect. V. Aph. 34.* Qua de cauſa cautè admodum prægnantes ſunt purgandæ, quæ purgationes etiam hic referuntur præcipue violentiores, & non ſunt uſurpandæ niſi in caſu ſummæ neceſſitatis, atque ubi materia ad excretionem turget, ubi quoque talia in uſum ſunt ducenda, quæ in receſſu aliqualem vim adſtrictoriam poſſident, præcipue autem ſuſpecta ſunt purgantia reſinoſa. Menſes porro ſi erumpunt, debilem admodum tum fœtum, tum uterum oſtendunt; denotant enim ejus aperturam

& de

& debilitatem quandoque vaſorum. Unde *Hippocr. ſect.V. Aph. 60.* dicit: *Si mulieri utero gerenti purgationes menſtruæ erant, fœtus ut benè valeat fieri non poteſt;* nam & fœtui aliquid alimenti abſcedit, unde *Nic. Fontanus de morbis Mulierum Lib. III. Cap. 9.* ait: *Quam periculoſus ſit hic fluxus, nulli puto non manifeſtum. Cum enim calor noſter in ſanguine perſeverationem habeat; ſi hic nimium excurrit, proſternit vires, ſpiritus reſolvit, facultatesq; dejicit, tandemq; de pauperato innato calido ſanguificaque potentia reſoluta, ſupervenit Hydrops, aut ſaltem contabeſcit corpus & perit.* Ubi calidum præternaturale tanquam cauſam ſtatuit hujus fluxus. Licet quidem exempla proſtent de eorum innoxio fluxu, qualia *Horſtius in Obſ. Med.* duo profert; id tamen in plethoricis ſolummodo procedit, uti etiam ex illis exemplis patet, & quandoq; cum inſigni emolumento, tam matris, quam fœtus; de qua tamen re prolixius agemus infra, ubi de mortificatione fœtus à Venæſectione. Interim tamen ejuſmodi evacuationes admodum periculoſas interdum eſſe, exemplo demonſtrat *Hildanus Cent. III. Obſ. 59.* Sic fluor albus peſſimus eſt in gravidis, & cachexia ſeroſa; neceſſe enim eſt, ab illis corruptis humoribus, vel fœtum enecari, vel vincula quibus ſecundæ alligantur utero, laxa & flaccida fieri: ob id minus firma facta non tam facile poſſunt fœtum ſuſtinere. Adde his, quod indè vis ipſius uteri reddatur debilior, & ita abortiant. Parem effectum edit Hydrops. Non minoris quoque eſt efficaciæ diureticorum & emmenagogorum uſus; (quæ, ſecundum *Clar. VVedel. in Amæn. Mat. Med. p. 192. ſunt reſerantia uteri vias, & ut viæ conſtent, per quas liberè & humor ſeu ſanguis aptus exitum affectat*) & aliorum

ſpe-

ſpecificè utero contrariorum, quæ hic apponere conſultum non eſſe puto, nec neceſſarium, & de quibus Scriptores Medici paſſim. Huc quoque referri debet illud dictum *Hippocr. ſect. III. aph. 12. Si vero hyems auſtrina & admodum pluvia fuerit, ver autem ſiccum & aquilonium, mulieres quibus partus vere imminet, ex quacunque occaſione abortiunt: aut ſi pariant, imbecilles & morboſos partus edent.* Siquidem matrum corpora imbecilliora facta per hyemem auſtrinam, & rarefacta, promptè admittunt vernam frigiditatem: ita ut fœtus ante aſſuetus calori tepido & æſtatis & hyemis, ſentiat magnam noxam à frigore inſueto. Præterea per hyemem illam auſtrinam collecta eſt multa pituita, quæ imbibita à tunicis ligamentisque uteri, ea laxat, diſſolvit, ac flaccida reddit, ut non facile retineatur fœtus in utero, vere ſuperveniente. Sic balnea laxantia, lubricando nimis & aperiendo has partes hic quoque ſuum ſymbolum conferunt, de quibus etiam mentionem facit *Roſin. Lentil. in Miſc. Med. Pract. Part. III. p. m. 331.* ſi dicit: Wann man die Beſchaffenheit der Bäder ins gemein anſihet/ haben ſolche/ als Bäder/ durchgehends eine erweichende und befeuchtende Krafft und Natur. Quomodo autem à crebriore Veneris uſu abortus contingere queat, quod non admodum infrequens eſt, deſcribitur apud *Roder. à Caſtro, de morbis Mulierum Libr. IV. Cap. 4. pag. m. 449.* inquit enim: *Coitus maxime poſt ſeptimum menſem debilitat, & abortum provocat, quia vincula remolliuntur ac diſſolvuntur.* Sed quod jam in prodigioſam miraculorum admirationem acceſſit, viperam mulier prægnans ſi tranſcenderit, abortionem ſequi produnt. *vid. M. Aur. Sever. de viper. Pyth. p. 12.* Item amphisbænam, mortuam duntaxat,

xat. Nam vivam habentes in pyxide impunes tranſire, etiam ſi mortua ſit. Et quo magis miremur, ſi non aſſervatam gravida transſcenderit, innoxiam fieri; ſi protinus aſſervatam transſcendat. Ovum etiamnum corvi gravidis cavendum conſtat, quoniam transgreſſus aſperos abortus molitur. Simili modo caſtoreum fibrumve gravida ſupergrediente abortum facere dicitur: periclitariq; partus, ſi ſuperferatur, ſecundum *Lud. Bonaciol. de Fœtus Format. Cap. VI. p. m. 165. & Petr. Foreſt. de Morb. Mulier. Lib. XXVIII. Obſ. 66. p. m. 464. & 465.* Tandem quoque in cauſa eſſe poteſt ipſe fœtus, ſi ægrotans ſeſe movet & calcitrat, ubi per illum motum membranæ cingentes diſrumpuntur; item fœtus mortuus mole gravans. Poſſunt adhuc plurimæ cauſæ laxitati uteri anſam præbere, quas tamen brevitati ſtudens omitto atque me ad reliqua confero.

Tertia ſpecies cauſarum Abortus, nempe mortificatio fœtus in utero, inter alia innumera primò contingere poteſt ab inedia, vel ob morbum, vel ob anguſtiam vaſorum & meatuum fœtui nutrimentum afferentium. Iſtiusmodi autem anguſtiam dari, aliquo modo probare licet ex eo, quod quam plurimæ puerperæ dentur, quibus nullum lac in mammis apparet, aut ſaltem pauciſſimum nec ſufficiens. Quidni igitur in utero quoque talis anguſtia adeſſe poſſit? unde fit, ut fœtus ob penuriam alimenti moriatur. Secundum doctrinam ſæpius laudati *Hippocr. ſect. V. aph. 44.* quoque inedia ad cauſam mortificationis fœtus refertur ſi loco citato ait: *Quæ præternaturam tenues utero gerunt, abortiunt donec pleniores evadunt.* Si cum ita extenuata ſit, conceperit mulier, neceſſe eſt ut & matris corpus, alimento reparetur & nutriatur. At cum in

D mor-

morbo antea extenuatis imbecillis ſit calor nativus, hic autem paucum ſanguinem conficiat, non poterit pauco hoc alimento nutriri mater unà cum fœtu, adeò ut neceſſe ſit, vel matrem perire, dum ſanguis qui deberet converti ad ejus nutritionem, convertitur ad uterum, vel fœtum mori. Tum Plethora quoque in cauſa eſt, ubi fœtus ſanguine quaſi obruitur, & veluti ſuffocatur, ut & ſi vaſa ſanguine ita infarcta & diſtenta rumpuntur atque copioſum ſanguinem fundunt. Et, licet venæſectio non inepte referatur ab *Hippocrate* modo memorato *in ſect. V. aph. 31.* maximè ſi fœtus grandior fuerit, ad cauſas fœtum enecantes, inprimis uti ſtatuitur ſi vena poplitis ſecetur; idque ob penuriam alimenti, quæ hinc conſequitur; tamen plethoricæ quandoque, imò ſæpiſſimè hac adminiſtrata ab abortu præcaventur, & è contra venæſectione neglecta abortiunt. Videri de hoc caſu poteſt *Roſin. Lentil. in Miſc. Med. Pract. Part. I. p. m. 77. Grembs Arb. ruin. p. 234. Zacut. de Princ. Med. Hiſt. Lib. III. Hiſt. 13. fol. 488.* Par ratio eſt menſium profluentium, de quibus jam ſuperius quædam diximus, quod in Plethoricis quandoque innoxii ſint. Sunt enim mulieres quædam plethoricæ, quæ etſi tribus, quatuorve menſibus ſint gravidæ, nihilominus, donec fœtus grandior copioſiore alimento indigeat, ſanguinem ſtatis periodis effundunt, non vero per conſuetas vias ex uteri fundo vel lateribus, ne fœtus ſuffocetur; ſed per venas uteri cervici inſertas. Atque hoc eſt, quod mulieres de conceptionis ſignis & tempore tam ſæpe faciat incertas, quando ſcilicet à repreſſis menſibus, computationem inſtituunt, & ſic quoque Medicos fallunt, qui, pro conſuetudine, venæſectiones & purgatio-

gationes, non ſine periculo quandoque Abortus adminiſtrant; uti refert *Hœferus in Herc. Med. Lib. VII, p. 315.* Cacochymia quoque hic non extra culpam eſt, ſiquidem fœtus ita alimento vitiato facile morbo quodam corripitur, imò tandem moritur. Deinde *mulierem utero gerentem morbo quopiam acuto corripi lethale*, ſecundum Prognoſticon illud *Hippocr. ſect. V. aph. 30. & aph. 55. Quæcunque utero gerentes febribus detinentur, in abortionis periculum incidunt.* Tum propter extenuationem virium, & deperditionem ſpirituum, tum propter alimentum fœtus vitiatum atque particulas heterogeneas in maſſa ſanguinea matris latitantes & tales morbos cauſantes, imò licet quidam afferant, quod fœtus ſolummodo laudabilem portionem ſanguinis aſſumat, tamen ob penuriam poſtea alimenti matris, fit, ut illa moriatur; tum quoque fœtus ob penuriam alimenti perit in tali caſu, præcipue ſi grandior fuerit, nam multo indiget alimento, tales morbi enim abſumunt ſanguinem & ſpiritus vehementi calore ſuo, & ſi liberalius nutriantur, periclitabuntur, fovendo ipſum morbum, ſi parcius, fœtus inedia enecatur; huc quoque reſpicit cura matris, præcipuè febre detentæ, quæ fœtui retinendo minus eſt apta, nempe venæſectiones, purgationes, & ſimilia, quorum noxas ſuperius indigitavi, unde in tali ambiguo caſu, vel mater vel fœtus mori neceſſe habet. Huc etiam pertinet Ebrietas, qua facilè febris accenditur, aut ſaltem ſpiritus & ſanguis commoventur, & plus juſto incaleſcunt, & ſic humidum abſumitur, & hæc ipſa eſt ratio, quare mulieribus puerperis primis ſtatim diebus aromata & vinum minime concedamus uti loquitur *Hœferus* jam ſæpius laudatus *in Herc. Med. Lib. VII. p. 337.*

qui quoque loco citato funeſtum exemplum de vino Malvatico in puerperio uſo profert. Propterea recte *in Libr. Judicum cap. 13.* Angelus admonet uxorem Manue, quæ Samſonem peperit, his verbis, *Sterilis es, & absque liberis: Sed concipies, & paries filium. Cave ergo, ne bibas vinum ac ſiceram, nec immundum quicquam comedas.* Spiritus etiam hic inculpandi ſunt, ſiquidem qui ad vitam embryonis maxime neceſſarii, ſi illis deſtituitur, e. gr. à deliquiis animi frequentioribus & lipothymiis, quæ nihil aliud ſunt, quam ſpirituum vitalium defectus, non tamen totalis, ſed tantus, qui facultatem pulſificam turbare, & vires reſolvere queat, ſic quoque Apoplexia, tum pavor atque mœror, ubi ſpiritus quaſi ligantur, itidem terror inopinatus & ſubitaneus, qui quoque ſpiritus figit, humorem motum ſupprimit, excretiones quasvis ſiſtit, nam tum ſanguis tardius circulatur, & ſimilia cauſantur, quibus facilè fœtus noxam acquirere poteſt. Sic *Vit. Riedlin. in ſuis Curis Med. Obſ. CCXX.* exemplum refert de abortu facto gemellorum ex terrore, viſo infante graviter in capite læſo; Et *Hildanus Cent. III. fol. 537.* de muliere Abortum faciente ex viſo caſu infantuli. Ex eadem ratione ſonus bombardarum & tonitruum, admodum infeſtus eſſe ſolet gravidis. Mentio quoque facienda eſt Picæ & Malaciæ gravidarum, ſi res alias, imò inſolitas & à natura abhorrentes appetunt, atque illas non acquirunt, ubi ſæpius obſervatur, fœtum noxam inde capere, res autem tales quandoque ſine nocumento digerunt; Sic obſervatu dignum eſt, quod *Mizaldus ex Joh. Langio* refert, qui *p. m. 261. Cent. VI.* ait: *Mulier quædam utero ferens, deſiderio humeri piſtoris denudati dum panem ad furnum defert, omnem cibum penitus*

tus faſtidiebat, præter carnem de humero dicti piſtoris. Maritus perchara uxoris miſertus, certam pecuniam pro ſingulis morſibus pactus, fecit ut ille duos dentium mulieris inſultus ſuſtinuerit: tertium vero, doloris pertæſus, cum amplius ferre nollet, recuſavit, hinc mulier ter geminos eſt enixa, duos vivos & tertium mortuum. Noxas autem quam plurimas ventriculo talia afferre, & conſequenter varios morbos parere quibus fœtus itidem in utero matris poſtea læditur nemo negabit, dum Pica laborantes carbones, gypſum, terram, cretam, aliaque peſſima appetunt. Simplex certè ventriculi expletionis deſiderium eſt, manetque. Cerebrum imagine hujus vel illius capitur; diſtinguit, ac dijudicat. Hujus ergo vitio accidit, quod poſthabito periculo in perniciem ventriculus ruat: uti loquitur *Svvalbe in Querelis Ventriculi pag. m. 260.* Quanquam etiam fermentum variè vitiatum hic in cauſa ſit. Tandem etiam mortificatio contingere poteſt à cauſa in ipſo fœtu hærente, e. gr. à mala conformatione partium, præcipuè funiculi umbilicalis, uti *Hildanus Cent. II. Obſ. 50. pag. 210.* exemplum habet de funiculo umbilicali, qui ſpithamæ longitudinem non ſuperabat, unde facile ita tenſus, placentam abrumpere poteſt. Aut ſi diſrumpitur, à cauſa aliqua violenta, quo fit, ut embryo nutriri non poſſit, unde neceſſariò mors inſequi debet. Si quoque non contortus eſt, ut ſanguis impetuoſius percurrens, fœtum quaſi obruat, uti ſuperius jam dictum. Reperiuntur adhuc quamplurimæ cauſæ, quarum Obſervationum Scriptores paſſim mentionem faciunt, ſed hicce in illis enarrandis pedem figo, atque haſce notatas, uti communiſſimas, ita quoque potiſſimas eſſe cenſeo.

CAPUT IV.

Signa Diagnoſtica revelat.

CUm Abortus jam factus ſignis non egeat, ideoque neceſſum eſt, ut ſigna quædam tradantur, tum imminentis, tum inſtantis abortus. Signa autem occurrentia, ſunt ſymptomata gravia, quandoq; fœtum extrudere apta, inprimis ſi fœtus mortuus in utero jam latet; ubi illud miaſma fœtus cadaveroſum matrem inficiens varia atque dira ſymptomata producit. Sic etiam licet fœtus putredine nondum ſit tentatus, attamen, uti ſuperius in morbi hiſtoria diximus, ſymptomata atque dolores in abortu etiam ſunt vehementiores his, qui ſunt in partu naturali, ſicuti fructus maturus, minori cum labore ab arbore ſeparatur, contra immaturus difficillimo, & vi avellendus eſt; ita quoque in fœtu immaturo. Cum autem ſæpius præcaveatur Abortus, ideò meritò differentiæ ejus, & quibus ſignis hæ dignoſcantur deſcribendæ veniunt. Quemadmodum enim ſuperius indigitatum, quod Abortus contingat, vel fœtu adhuc vivo exiſtente, uti in laxitate & conſtrictione uteri, vel illo mortuo: itaque ut Cura bene inſtituatur, & ne adſtringamus ubi pellere debemus & contra, ſigna probè inter ſe ſunt conferenda, utrum fœtus adhuc vivus ſit, an vero jam extinctus: vivus enim denotat ſui auxilium & retentionem, mortuus vero expulſionem. Noſcitur itaque Abortus futurus, ubi ſuſpicio adhuc adeſt vitalitatis fœtus, ſi mammæ extenuantur, ut *Hippocr. ſect. V. aph. 37.* docet, dum ſcribit:

bit: *Si mulieri uterum ferenti mammæ derepente graci-leſcant, abortionis periculum eſt*: & *Aph. 53. Quæ fœtus corruptura ſunt, iis mammæ extenuantur*; denotat enim inopiam alimenti in utero, unde fit, ut fœtus hac inopia commotus, attrahat quaſi materiam nutritiam ex reliquis partibus, & cum magnus mammarum ſit cum utero conſenſus, ſuccus nutritius in illis jam elaboratus, ante tempus exhauritur, unde poſtmodum gracileſcunt. Sic etiam *Hippocr. Aph. 52. ſect. V.* auguratur; *Mulieri gravidæ, ſi lac copioſum è mammis effluat, fœtum imbecillem ſignificat*, tum enim fœtus non niſi paucum ſanguinem ad ſui alimoniam trahit, atque multum relinquit, qui tandem ad mammas confluens, in lac tranſit, ibique ob nimiam copiam effluit. Par ratio eſt menſium profluentium, præcipue in non admodum plethoricis, ubi ſemper aliquid alimenti fœtui denegatur, idque eò magis, ſi ultimis menſibus contingant. Aut etiam ſi ita ſanguis nimis ex utero fluit, denotat vel reſerata ejus oſcula vaſorum, vel aperta vaſa, vel transcolationem, quorum ſymptomatum cauſa interna eſt ſanguis admodum calidus, valde attenuatus & fluidus: vaſa vel erodens, vel exedens, vel ejus tunicas rarefaciens, quibus omnibus fœtum noxam quandam capere poſſe quis negabit. Huc pertinet, laterum ventrisque ſuperioris coarctatio, lumborum & coxarum gravitas: quod ſi fœtus jam moveri cœperat, rarior languidiorque motus evadit, (quod jam inſignem debilitatem denotat.) tum dolores aliâs in partu naturali conſueti. Aliud *Hœferus in Herc. Med. Lib. VII. pag. m. 22.* experimentum profert: *Si dubites*, inquit, *an fœtus vivus an mortuus ſit, comminue majoranam digi-tis,*

tis , & umbilico matris admove , vivus ſtatim movebitur. Signa autem fœtus jam mortui varia & quandoque atrociſſima ſunt ſymptomata : ubi primo obſervatur nullus amplius motus fœtus , & potius ſenſatio ponderis in inguinibus , quod prout mater ſeſe commovet , in hoc vel illud latus inclinat , ob pondus iners , in utero jacens. Abdominis ad tactum frigiditas , ob vitalitatem deficientem ; quandoque tamen maximus calor obſervatur , inprimis ſi uterus à miaſmate fœtus cadaveroſo jam infectus & inflammatus eſt ; ſi ſecundinæ erumpunt , atque aquæ , ut & excrementa fœtus : inprimis autem hæc ſigna infallibilia ſunt , & ferè in quovis abortu contingere ſolent , ſi quædam cauſarum ante memoratarum abortus præceſſerint. Si vero jam fœtus per aliquod temporis ſpatium vita privatus , atque putredine tentatus , tum à miaſmate illo peregrino maſſa ſanguinea infecta , matri ſatis gravia & periculoſiſſima ſymptomata accidunt , uti eſt horror aut rigor inopinatus , ſubſequente febre acuta , colica , color faciei cachecticus , ardor ſtomachi , animi deliquia frequentia , palpitatio cordis , mœror continuus , convulſiones epilepticæ , anhelitus graviter olens , capitis & oculorum dolores , prævia aliquando his omnibus magna hæmorrhagia uteri. Inprimis autem peſſimum eſt ſignum , & ferè nunquam fallax ; ſi contingat ut aquæ rumpantur , & eò magis , ſi adſit effluxus materiæ ſanioſæ , loturæ carnis ſimilis ex utero atque fœtidæ , inſequente puro ſanguine , poſtea grumis , ubi tandem fœtus ipſe erumpit. Quandoque tamen ſi adeſt peculiaris quædam laxitas partium , ſine præcedaneis hiſce ſignis , ex improviſo , ſine do-

lori

loribus atque ſolummodo inter ambulandum abortus ſæpius contingere ſolet.

CAPUT V.

Prognoſin auguratur.

DE Morbo, ejusque ſymptomatibus, itemque de eorum Cauſis hactenus jam dictum; Signa quoque tradita de morbo præſenti. Priusquam autem ad Curationis deſcriptionem me accingam, neceſſarium fore puto, ut demonſtretur idea eventus futuri, & quale Prognoſticon formari poſſit in tali caſu. In Abortu itaque mulieres magis periclitantur, quam in partu naturali, ob rationes ſuperius datas, aliquando tamen & ſæpius evadunt, inprimis ſi jam ante pepererunt, ut via jam patentior ſit, & partui aſſueta; ſecus ac primiparæ, ac delicatulæ, ob teneritudinem & vires imbecilles, & quæ ſucci ſunt plenæ & craſſiores, atque obeſæ, propter viarum anguſtiam. Porro, cum in omni Abortu & partu præmaturo, ſecundinæ adhuc firmiter utero adhæreant, & conſequenter facilè remaneant, vel vi avelli debeant, disruptio violenta vaſorum quandoque hinc fit, & vel ſteriles poſtea redduntur mulieres, vel hæmorrhagiæ nimiæ excitantur, ita ut ſæpius vita cum ſanguine effluat; quæ dilacerationes vaſorum etiam ulcera uteri incurabilia producere poſſunt. Lethalis utplurimum cenſetur Abortus, ſecundum *Cl. Theodor. Zvvingerum in Theatr. Prax.* Si Plevritidi, Peripneumoniæ, Febri malignæ, Dyſenteriæ & ſimilibus morbis gravioribus ſuperaccedit: propter debilitatum

enim robur naturæ & virium jacturam à morbo præcedente, non ſufficiunt ad abortum ſuſtinendum; ſiquidem qui per ſe poſtea graviſſime affligit. Sic quoque retentio ſecundinarum mala graviſſima adducere ſolet, quæ tamen facile contingit, (ſiquidem quæ adhuc arctius utero cohærent;) non minus ac fœtus ipſe in utero jam putrilagine tentatus, qui uterum ipſum corrumpit, & vel convulſiones, febres acutas, deliria uti in Diagnoſi jam demonſtratum, imò ipſam gangrænam uteri producit: ubi conſequenter nihil aliud ſupereſſe videtur, quam ipſa tandem mors.

CAPUT VI.

Methodum medendi tradit.

REſtat nunc, ut de Cura ritè inſtituenda aliquid dicatur; ubi quidem ex modo dictis patet, vel præſervandum eſſe in hoc affectu, (præſervare enim nihil aliud eſt, quam imminentem curare morbum, ſeu ubi morbus eſt in fieri) vel curandum, ſi morbus jam in facto eſt, ut ille aptis remediis tollatur, aut ſolummodo accidentia removeantur, ne in deterius ruat, & gravior fieri poſſit. Quod itaque *præſervationem* attinet, ſi obſervatur Abortum in fieri eſſe, ſtatim eò allaborandum, ne effectus plenarius inſequatur. Itaque cauſæ ante omnia tollendæ veniunt, ſecundum regulam illam univerſalem, ſublata cauſa tollitur quoque effectus. Cum autem ſuperius Cauſæ incuſatæ ſint vel conſtrictionis, vel laxitatis uteri, vel demum mortificationis fœtus, ideo-

que

que indicatio facile patet. Morbo vero jam exiſtente in facto, uti id fit ſi fœtus jam expulſus eſt, vel etiam morte extinctus in utero, indicatur vel ſymptomatum ſublatio, vel extractio aut expulſio moleſti & noxii. Ut itaque ordine procedatur, de ſingulis ſeorſim erit agendum. Quodſi itaquo I. accidat quædam cauſa, quæ conſtrictionem uteri procurare poterit, & inde Abortum, illa tollenda erit.

II. Obſtacula removenda ſunt, laxitatem nimiam matricis efficientia, & conſequenter prolapſum fœtus.

III. Declarandum, quid facto opus, quando mortificatio embryonis apparere incipit. Et hæc erunt potiſſima, quæ in Cura præſervatoria deſcribenda ſunt.

Quod vero *Curam curatoriam* attinet, quæ morbum ipſum reſpicit, & ubi jam in facto eſt morbus, hic occurrit quid faciendum, ſi I. fœtus in utero mortuus, quod nempe ad excluſionem ſit ſollicitandus: quod fit vel medicamentis, vel manuali ipſa operatione & extractione.

II. Tandem diſquirendum venit, quomodo vel in, vel poſt Abortum tractandæ ſint mulieres.

Hac itaque diſtinctione obſervata, quæ, meo judicio, in ordine probabiliſſima eſſe videtur, me confero ad primum indicans, quomodo præcaveri poſſit Abortus, per ſublationem cauſarum conſtrictionem uteri, & inde excluſionem fœtus immaturam atque violentam efficientium; ubi ſecundum Cauſas ejus ſuperius enarratas, primò ſeſe offert Conſenſus uteri cum reliquis partibus, qui ſæpiſſime fieri ſolet, & Abortum procurat, ut in colica,

 nephri-

nephritide, dyſuria, ſtranguria, pleuritide, vomitibus gravioribus & crebrioribus, convulſionibus; & ſi fortè his prægnans infeſtata fuerit, prompte curanda ſunt, cum periculum in mora ſit, & ſolummodo quoad uterum Cura palliativa locum habet, ut ille quantum poſſibile roboretur; affectus autem conjuncti, ut pro ſua quoq; indicatione, curentur, videndum eſt. Verum ſi Abortus contingat ab uteri capacitate exigua, & peculiari conſtitutione, ut expandi non poſſit, vix ac ne vix quidem curam admittet, cum etiam difficillime cognoſcatur, niſi quod *Hippocr. Libr. de ſterilitate* dicat: *Si mulier in tertio, quarto aut quinto menſe abortum faciat, atque hoc pluribus vicibus, & eodem tempore; hoc ideò fieri, quia uterus diſtendi non poſſit.* Curatur autem ſecundum *Rodericum à Caſtro* balneis, ſed his cautè, ſi mulier gravida jam ſit, e. gr. ex decocto foliorum malvæ, borrag. viol. bugloſſ. flor. chamomill. ſem. lin. fœn. græc. & ſimilibus emollientibus, atque fibras uteri conſtrictas nimis, relaxantibus. In ſuperfœtatione autem & mola conjuncta abortus præcaveri difficillime poterit, & hic naturæ committendum venit, quod curari & averti nequit, cum etiam ſigna non uſque adeò certa pateant. Si vero metus adeſt Abortus, à ſanguinis acrimonia ſcorbutica, aut ſi primæ viæ cruditatibus ſalſis ſcateant quodammodo, laxantia primò exhiberi poſſunt, in receſſu tamen aliquali vi adſtrictoria prædita; ubi inter talia optimum eſt rhabarbarum; à laxantibus vero reſinoſis abſtinendum, ut & ab iis, quæ vi quadam diuretica pollent, quia ob vicinitatem uteri cum veſica, quam ad expellendum ſollicitant, multum obeſſe poſſunt.

Sic

Sic *Horſtius in Obſ. Medicinal. Lib. II. Obſ. 22. p. m. 46.* Claretum laxativum parat ex ſequentibus. Rec. Fol. Sen. ℥j. Rhabarb. el. ʒij. Agaric. ℥ß. Herb. Card. ben. Abſynth. aa. pj. Sem. Cartham. pond. ℥ß. Anis. ℈iß. Zedoar. Saſſafr. aa. ℈j. Sacch. cand. alb. ℥iij. Vini albi lbvj. Fiat infuſio per 24. horas, in loco calido: poſtea per manicam Hipp. coletur aliquoties, & fiat Claretum, cujus doſis ℥v. vel vj. per dies aliquot reiteretur, vel ſolitariè, vel addita ℥j. ſyrupi de Manna laxativi, vel ℈j. Cremoris Tartari. Interim licet in tali caſu præſervationis gratia inſtituatur purgatio, tamen cum facile uterus ab illa commoveri poſſit & fœtus aliqualem noxam inde capere, roborantia ſimul exterius abdomini applicanda ſunt, ex pane toſto, vino rubro aſperſo, cum nuce moſchata, roſis, caryoph. & herbis nervinis atque uterinis. Poſtea autem abſorbentia & edulcorantia ſanguinem, non inconvenientia erunt, ex coralliis, ebore, oculis Cancr. CC. terra ſigillata & ſimilibus, quæ maſſam ſanguineam corrigunt, & acrimoniam ſalinam invertunt atque edulcorant. Cum vero videamus accidentia quædam contingere, genus nervoſum valde afficientia, ne dicam de ipſis convulſionibus, epilepſia; antepileptica cum aliquatenus adſtringentibus optimè conveniunt, uti in hoc caſu egregia eſt Nux moſchata, quæ tum anodyna, tum adſtrictoria vi pollet, ſiſtens ſpirituum & ſanguinis nimium motum, tum eſt pulv. epilept. March. & ſpecif. ceph. Mich. admixtis uterinis, aqua meliſſæ, menth. matricar. & ſimilibus; ubi pro ratione circumſtantiarum atque graduum etiam opiata in moderata doſi addi poſſunt, ſiquidem quæ optime impetum humorum

& ſpirituum coërcent. Si alvus adſtricta eſt, tum mollienda, non clyſteribus, quia fœtui nocent, præſertim grandiori, ſed ſuppoſitoriis factis ex axungia porcina cum granis quinque vel ſex diagrydii, ad irritandum. In utero ipſo percuſſo, & inde Abortus metu, vel ob caſum ventris inferioris, *Hœferus in Herc. Med. Libr. VII. p. m. 322.* imperat, ut gravida diſponatur in lectum, ut quieſcat, & ſingulis diebus exhibeantur cum ovo recente gallaturæ No. 7. vel 8. cum ſerico carmaſino, ad ℈j. inciſo minutiſſime, vel tantundem granorum chermes; Ventri autem pro confortando fœtu imponatur ſacculus è foliis cupreſſi, majoranæ, rorismarini, in vino & aqua coctus. Et hæc de prima indicatione, ut & ipſo Utero afflicto ſufficiant, cum ex hiſce memoratis reliqua quoque pateant. Potius me confero ad præſervationem Abortus, quam alterum indicans nobis proponit, quod eſt, ut obſtacula removeantur laxitatem matricis cauſantia. Ad firmandum itaque tonum, & roborandum elaterem fibrarum uteri nimis tenerarum & laxarum, ſecundum cauſas varias etiam varia remedia pro ratione circumſtantiarum uſurpanda veniunt. In cauſis itaque primo accuſatus eſt alvi fluxus, placentam uterinam relaxans: ubi ſi ſubjectum ſeroſum fuerit, nec notabilis virium proſtratio appareat, aut nimium copioſus ſit, ſecundum *Chriſtian. Joh. Langium in Valetudinario Gravidarum p. m. 553.* Siſti ille à principio non debet, imò potius lenioribus adjuvandus, cum in cauſis quoque cachexia ſeroſa ſit relata inter Abortum procurantia, inſimul tamen è re erit, tonum ventriculi atque inteſtinorum per roborantia aromatica potiſſimum conſervare.

re. Si autem hic alvi fluxus nimius ſit & vires deſtruat, metumque injiciat abortus, ſiſtendus omnino eſt, & quidem per abſorbentia, e. gr. corall. bol. armen. terr. ſigill. unic. foſſil. CC. & reliqua adſtringentia, uti ſunt cydoniata ſpecifice alias in metu abortus commendata, conſ. roſ. vitriolat. ſang. drac. Sed hic uti ſuperius jam indigitatum, cautela opus eſt; Si enim oriatur ab abundantia humorum vitioſorum, ibi niſi his probè egeſtis, talia adſtringentia nequaquam ſunt in uſum adhibenda, uti quoque *Mauriceau monet in ſuo libro* von der ſchwangeren Weiber Hülffleiſtung *Cap. 19.* ubi ita rem exprimit: Daß wir den Wolff nicht in den Stall ſperren/ und indem wir das Kind-abgehen verhüten wollen / nicht zu grösſerem Unheil an der Mutter / und nachgehends auch an des Kindes Tod Urſach ſeyen/ indeme wir inwendig zuruck hielten / einen Hauffen böſer Feuchtigkeiten / deren ſich die Natur gern entladen wolte. Si vero accidat, ut menſes erumpant, præcipue in non plethoricis, (nam in plethoricis ſuperius demonſtratum eſt, quod non tam nocivi ſint, & potius opus naturæ, ſe à ſarcina moleſta liberantis) ſi ergo hic fluxus contingat in ſuperiori caſu, tum ante omnia ſiſtendus erit per adſtringentia, ſub formis variis exhibita, atque etiam exterius applicata, ex rad. biſtort. torment. herb. burſ. paſt. centinod. cum ſuis præparatis, & ſimilibus ſupra etiam nominatis, ſic Rec. Rad. biſtort. pulveriſat. ʒj. exhibeatur ex aquæ plantag. cochl. j. Aut Rec. Gran. cherm. ℈j. Corall. r. pp. ʒß. conf. alkem. ſ. moſch. ʒß. capiatur ex ovo ſorbili. Huc quoque exterius ſpecifice laudatur unguentum Comitiſſæ. Tum & externa fœtum roborantia ſunt appli-

plicanda, de quibus tamen in tertia poſtea indicatione prolixius agemus. Progredior nunc ad ſpecifica contra Abortum, præcipue in uteri nimia laxitate; talia enim quæ hic circumferuntur, utplurimum ſunt adſtringentia. Sic primo commendatur apud *Hæferum in Herc. Med. p. m. 321.* Magnes in manu geſtatus vel umbilico appoſitus. Tum eſt lapis Ætites, qui ſub axillis alligatus dicitur fœtum in utero retinere, ſub genu vero illum ex utero elicere: an autem talis effectus ſane miraculoſus prædicatis de eo reſpondeat, aliorum diſquiſitioni & credulitati relinquo. Proſtat quoque pulvis contra Abortum in Officinis, in Pharmacop. Auguſt. deſcriptus, item Balſamus embryonum. *Simon Paulli in ſuo Quadripartito Botanico* commendat *Millefolium*, cum dicit: *Experimento muliebri contra Abortum illius decoctum commendatur, & novi quasdam, quæ ſe ab eo, hujus ſolius decocti beneficio præſervarunt*; quodque remedium non uſque adeò ineptum eſſe cenſeo, præcipue in laxitate uteri quæ contingit ab humoribus vitioſis; nam præter vim vulnerariam & adſtringentem, leni quoque abſtergendi facultate pollet. In tali quoque æſtimatione apud modo laudatum Authorem eſt Salvia, ita ſcribentem: *ut cum Salvia evidenter calefaciat, & leniter adſtringat, non male illos, ægris muliercul is conſulere, quæ ex laxo utero abortum timent, ut Salvia utantur. Valde namque membranoſas & nervoſas partes Salviam roborare certiſſimum eſt.* Cydoniata quoque hic multum præſtant, ut & remedia ex coralliis præparata. Plura ſi quis deſideret, vide *Melch. Sebizii Speculum Medicinæ Practicæ*, unde diutius his non immorabor.

Se

Sed ut reliquæ indicationes etiam perluſtrentur, ſequitur, ut declaremus, quid faciendum ſit, quando mortificationis fœtus metus adeſt. Ubi in cauſis primò occurrit inedia & defectus nutrimenti ob morbum aliquem, vel ex anguſtia viarum nutrimentum afferentium; In priori caſu mater utatur cibis copioſiſſimi alimenti, medicamentis enim ex fonte Pharmaceutico, nil ferè efficiemus, & optima cura hic conſiſtit in laudabili & plena diæta, ut cibis utatur facilis concoctionis; in poſteriori autem, etiam interiora aperientia uſurpare opus eſſe indicatur, quæ tamen, ſi dicendum quod res eſt, exiguum effectum edent. Interim vero, ſi quæ ſunt exhibenda, talia laudantur & præſcribi poſſunt, quæ aliâs commendamus ad lac augendum, uti eſt Lac Lunæ, rad. liquirit. fœnic. ſem. fœnic. Sic Lac Lunæ cum oleo fœniculi ſub forma pulveris exhiberi poteſt. Aliâs in hoc caſu extra graviditatem, quidam balnea artificialia parare volunt, quale etiam deſcribit Thiermeyerus in ſuis conſultationibus, ex herb. parietar. mercurial. matricar. artemiſ. origan. chamom. &c.

Si vero metuitur Abortus à Plethora, inprimis in talibus ſubjectis, & ubi jam una aut altera vice contigit ille, tum ferè unanimi conſenſu Authores Practici commendant venæſectionem, uti inter alios videri licet *Panarol. Pent. I. Obſ. 10. Grembs. Arb. ruin. p. 234. Roſin. Lentil. Miſc. Med. Pract. Part. I. p. 77. Zacut. Luſitan. de Princ. Med. Hiſt. Lib. III. Hiſt. 13.* Nam hæc quoque frequenter cauſa eſt, ut ſanguinis fluxus contingat ex prægnantium utero, unde cum de hoc fluxu ſuperius jam dixerimus, quod adſtringentia conducant in non plethoricis, ſic hic in plethora ſtatim

F ſan-

ſanguis mitti debet, ut divertatur, unde *Nic. Fontanus de Morb. Mul. Lib. III. Cap. 9.* dicit: *Nos audacter ad revellendum, ligatis cruribus ex brachio ſanguinem trahimus, ſi vires adſint. Quæ ſi robuſtæ fuerint, in ſcapulis ſcarificationes parvas facimus, quem cucurbitulis extrahimus.* De Cacochymia jam quædam ſuperius diximus. Si vero morbo quodam acuto gravidæ afficiuntur, certè curam difficillimam eſſe cenſeo, cum varia contra indicantia ſeſe præbeant, cum matri, tum fœtui nociva, quorum rationes in cauſis traditæ fuerunt. Ad fœtum enim retinendum requiritur & matris & fœtus robur; ſi igitur mater vitioſis humoribus abundat, & cum iis, illa cum fœtu alatur, fieri non poteſt, quin uterque ſit imbecillior. Multæ tamen evaſerunt, ut quædam mulier laborans febre ardente, cujus meminit *Hippocr. Lib. I. Epid.* Et præterea multas iterum videmus convaleſcere, quarum natura fortior adhuc eſt; atque hic videndum, ut omni modo illis morbis ſuccurratur, ne radices tam altas agant, non omiſſis interim fœtum roborantibus. Quod autem deliquia animi attinet, palpitationem cordis, lipothymias, pavorem & mœrorem, imò & terrorem inopinatum & ſubitaneum, atque ſimiles affectus, ubi ſpiritus figuntur, vel eorum inordinatus motus introducitur, & conſequenter vigore adempto, ſanguis tardius circulatur, quibus facile fœtus noxam capere poteſt; exhibenda primò ſunt cordialia, inprimis hic laudatur confect. alkerm. ſyr. granat. cydon. cum aqua meliſſ. puleg. cinnam. carfunc. aur. lil. convall. ceraſ. nigr. cord. Herc. Saxon. Exterius quoque balſama, & tales aquæ ſpirituoſæ abdomini applicari poſſunt, quibus pro meliori penetratione

addi

addi poteſt ſpir. ſal. ammoniac. Sic quoque pro hoc ſcopo balſ. embryon. concinnatus eſt; alia quoque e. gr. aromatica abdomini imponi poſſunt, ex cinnam. caryoph. nuce moſchata, quæ cruſtæ panis toſtæ inſperguntur, atque vino malvatico vel alio liquore ſpirituoſo & appropriato irrorantur: de quibus autem plura videri poſſunt apud *Sennert. de debilitate fœtus.* Nam ego brevitati ſtudens, me ad reliqua confero, ex quibus adhuc reſtat Pica gravidarum, ſeu deſiderium rerum inſuetarum, in quas non obſtante quod inediles ſint, & nomine alimenti indignæ, fertur appetitus, dum cretam, arenam, corium, chartam appetunt. Tum eſt Malacia, ubi appetitus fertur in cibos conſuetos quidem, ſed vel crudos, vel eo tempore non habendos. Ubi in curatione reſpiciendum ad ea quæ appetuntur, num acida, num alkalina. Semper enim contrario modo incedendum. Vinum roborans & generoſum non rarò picam pellit, teſte *Blancardo in Praxi Med. p. m. 6.* Sic & *Hœferus in Herc. Med. Libr. VII. p. m. 321.* commendat ſuccum è tenellis vitis foliis expreſſum, vel ſolum, vel cum miva cydoniorum, tum aquam menſe Majo è foliis vitis deſtillatam. Præter hæc, ut ſpecifica traduntur aqua virgæ paſtoris & anethum vino maceratum. Nucem moſchatam cum pauco melle, atque panem maceratum in ſucco granatorum, vel ſucco cydoniorum ceu experta in tali caſu remedia communicat *Ettmüllerus in ſua Praxi.* Quod tandem vitium ipſius fœtus concernit, atque malam conformationem partium, ſi funiculus umbilicalis diſruptus &c. cum non adeò facile noſcantur, aut poſitò ſi ſuſpicio adeſſet, tamen illis neutiquam Medicus remederi poterit.

Explicata nunc Cura Præſervatoria, reſtat ut aliquid etiam dicamus de Cura Curatoria, quid nempe faciendum ſit, quando certa indicia apparent fœtus mortui: ubi illicò extrahendus eſt, ne alia mala graviſſima matri inferantur. Quanquam autem natura quandoque ſponte fœtum expellat, & varias vias quærat: tamen id non fit ſine matris interdum damno & periculo, qualia exempla vide apud *Rouſſet. de Partu Cæſar. Part. III.* Ideoque tutius eſt, operam dare, ut fœtus mortuus, antequam corrumpatur, ex utero tollatur. Expellitur autem vel medicamentis, vel manus Chirurgi opera extrahitur. Inter pellentia eſt Sabina, dictamnus Creticus, pulegium, polium, myrrha, borrax, & ejusmodi talia ſecundum *Cl. VVedel. in Amœn. Mat. Med. p. 194.* vel balſamica, vel nervina, ſtimulantia tum ſalina tum ſulphurea, vel interius exhibita, vel exterius in ſuffumigiis adminiſtrata. Ut vero adhuc liberius provocatio fœtus procedat, parari ſimul poſſunt balnea emollientia, quibus immittatur mulier, aut ſacculi emollientes abdomini applicandi. Danda verò ſunt talia, juſto tempore, ut cum naturâ, non invitâ ipsâ agamus, quando nempè fœtus inſtat & portarum apertio facta eſt, niſi enim hæc adfuerint, fruſtra & intempeſtivè ſtimulaveris. Si vero fœtus debito modo conſtitutus, tum utique talia locum habent. Fœtu autem, his omnibus incaſſum adhibitis, non excreto, aut jam per aliquod temporis ſpatium mortuo, atque ſi putreſcere cœpit, tum talia pellentia non ſemper tuta ſunt; nam majorem æſtum & fervorem matri conciliant, cum tamen alioquin à miaſmate fœtûs cadaveroſo varia mala oboriantur. Ideoque opus eſt manu chirurgica, & unco fœtus extra-

trahendus. Cum autem uterus non ſemper apertus ſit, ut vel manum vel inſtrumenta admittat, ſpeculum matricis appellatum applicandum: quæ inſtrumenta videri poſſunt apud *Sculteum in Armament. Chirurg.* & apud *Mauriceau* von der ſchwangeren Weiber Hülffleiſtung.

Supereſt, ut quoque mentionem faciam, quomodo poſt Abortum factum tractandæ ſint mulieres: multum enim intereſt, cum plerumq; varia mala abortientes deſtruentia inſequi ſoleant, quibus oportet citò ſuccurrere. Accidentia autem ipſa ſunt, retentio ſecundinarum, multitudo ſanguinis, paucitas ejus, febris, inflatio ventris, dolor matricis, ſyncope, & alia ferè innumera, quibus hæ miſeræ infeſtantur. Si itaque accidat retentio ſecundinarum, quod facilè fit, ſiquidem placenta adhuc quaſi immatura, arctè utero adnata eſt, tum opera danda, ut quantocyus manu extrahatur ſi poſſibile, retinendo funiculum umbilicalem, donec ſequatur. Quoad Pharmaciam exterius abdomini applicentur emollientia, tum commendantur ſternutatoria, tandemque pellentia, ubi *Fontanus de Morb. Mulier. Lib. IV. Cap. III. p. 157.* ſequens commendat. Rec. Aq. puleg. ℥viij. aq. hyſteric. ℥iß. Caſtor. pulv. ℈ij. Miſc. pro potu 2. doſium. Tum odoramenta uterina parari poſſunt, tale *Herman. in Cynoſura Mat. Med.* præſcribit. Rec. Bdell. myrrh. ſuccin. ana. ʒj. injiciantur carbonibus & fumus recipiatur per muliebria. Nec omittenda fomenta ſeu inſeſſus ex decocto chamom. pariet. arthem. matricar. ſem. aniſ. fœnic. lini &c. Nimius lochiorum fluxus ſiſtendus erit adſtringentibus, ne mater magis quam par eſt, ſanguine amiſſo, periculum vitæ incurrat. Si

F 3 au-

autem lochia in exigua admodum quantitate fluunt, vel plane ſupprimuntur, quamplurimas noxas pariunt, quas recenſet *Hippocr. Lib. de Morb. Mulier.* ubi conveniunt aromatica aperientia, & ſanguinem coagulatum iterum reſolventia, non omiſſis fomentis emollientibus. Febris ſi contingat, aut alius morbus, quiſque pro ſui indicatione curetur. In inflatione matricis, attenuandum & reſolvendum, ſacculis ex herbis nervinis cum carminativis. Dolor autem matricis ſiſtitur inſeſſione ſacculorum ex chamom. malv. fœn. græc. ſem. lin. rad. alth. & ſimilibus, una exhibitis internis anodynis, theriac. mithrid. In Syncope aſpergatur facies aqua roſacea, & exhibeantur internè ſpiritus reficientia, ex aquis uterinis, & aliquatenus ſpirituoſis. Qui tamen affectus omnes, cum ſeorſim tractandi eſſent, mei verò inſtituti non ſit, illos prolixius pertractare, videri poſſunt apud Scriptores Practicos, præcipue apud Fontanum de Morb. Mulier. & alios.

Tandem progredior ad regimen ſex rerum non naturalium, neceſſariò nos alterantium, & cautelas tum gravidarum, tum abortientium, ne graviora mala accidant. Ubi Aër eligendus eſt temperatè calidus, ac purus, vitandus autem nimis exæſtuans, per quem vires magis deſtruuntur, ut & frigidus, qui ſanguinem ad coagulum diſponit, ubi facilè lochia ſupprimuntur, quorum ſuppreſſorum noxas, ſatis poſtea perſentiſcent; imò à frigido aëre utero admiſſo, facilè ejus gangræna ſupervenire poteſt. Quod ad Cibum & Potum, cibus non ſit viſcidus, ſed lautus & tenuis, juſculaque ex carne gallinacea, vitulina, acidi vero omnes ceu peſtis fugiantur. Potus eligatur mo-

dera-

deratè calidus, nam quantas noxas frigidus producere poſſit in hoc caſu, obſervationes ſatis funeſtæ teſtantur; tum moderatus vini uſus non nocebit, pro virium refocillatione, modò febris non adſit. Quieti ſeſe dedant, ſi nimius videtur ſupervenire lochiorum fluxus; ſi vero parcius fluant, tum potius Motus eſt imperandus. Somni Vigiliarumque ratio mediocris erit obſervanda. Quoad Excreta & Retenta, alvus detineatur ſemper lubrica, ac aperta, neutiquam tamen ad profluvium ferè immodicum. Animi Pathemata graviora cuncta fugiantur, præprimis Ira, Terror, &c. quæ humores nimis exagitant, vel nimis figunt. De cautelis autem gravidarum in ſex rebus non naturalibus, cum earum noxas jam ſuperius indigitavimus; quid faciendum, quidque omittendum ſit, hic repetere non opus eſſe cenſeo, cum poſtea per ſe pateat.

Et ego hic pedem figo: quandoquidem hæc qualiacunq;, pro virium modulo hactenus dicta, ſufficere poſſunt pro Diſputatione Academica. Si quem verò hic mentis ac calami inveneris lapſum, B. L. denuò rogo, ut potius adſcribas tum difficultati materiæ, tum communi hominum errori, & quod omnis ſcientia hac in mortalitate ſit manca. Interim DEum T. O. M. devotiſſimè veneror, pro conceſſa hactenus in proſequendo Studio Medico gratia; atque ut huic impenſus labor vergat in Sui Nominis gloriam, & proximi commodum, faxit idem Summus Archiater; Cujus Laudis, Honoris & Gloriæ, nunquam debet eſſe.

F I N I S.

PAgina, quæ præfert infauſtum nomen *Abortûs*,
Integer ingenii fœtus, *Amice*, tui eſt;
Et probat hæc etiam, Te (quæ non ultima laus eſt,)
De re poſſe malâ dicere multa benè.
Nil immaturum hac certè Lectoribus offers,
Aut quod abortivum dicere jure queant;
Sed, tua quod peperit felix induſtria, cunctis,
Ut Jovis è cerebro nata Minerva, placet.
Hunc quoque pugnando tibi fortiter aſſere partum,
Quis pro prole ſua non capere arma velit?
Hinc tibi naſcentur Tituli, naſcentur Honores,
Maturusque brevi poſtmodo Doctor eris.

Hæc Amicitiæ & boni Ominis
cauſa app.

M. Joh. Jac. Dieterlin, *Gymn. Sup. Vic*

§(***************:**************)§

MUlti quo vario, KUBLER, medicamine morbi
Dextre ſanentur; diſſeris, unde cano:
Non, cui mortales miſeros occidere ſoli
Eſt impune, ſuo tempore Doctor eris.
Sed qui multorum dubiam ſervare ſalutem
Arte poteſt, & quem debita Mitra manet.

Dn. Reſp. gr. f.

Georgius Chriſtophorus Kaſt, M.

(o)